






*DISPV TATIONES JVRIDICAS*  
AD  
*G. A. STRUVII*  
*JVRISPRVD.*  
*ROM. GERM. FOR.*  
IN AVDITORIO JVRIDICO  
PVBLICE HABENDAS  
INDICAT  
EAQVE OCCASIONE  
DE  
*CHARACTERE INDELEBILI*  
ET  
DOCTRINA, DE EFFICACI HOMINIS  
IMPII MINISTERIO, PERPERAM  
EX ILLO DEDVCTA  
DISSERIT  
*JO. FRIDER. WERNHER.*  
JVR. VTR. DOCTOR.

*VITEMBERGAE,*  
LITERIS VIDVAE GERDESIAE.

*33.*







Icet , Jus nostrum Canonicum alii  
cubi erroribus , superstitionibus ,  
aliisque Papatui domesticis fer-  
mentis , uarie corruptum esse , ne-  
gari haud possit ; facile tamen  
ex his omnibus eluctari possumus ,  
si attenderimus diuersos , ex qui-  
bus illud deriuatur , fontes . Quae-  
dam enim ex sacris literis , multa ex Patribus , nonnulla  
ex Jure Ciuiti , alia ex Pontificum Decretis , de promta  
sunt . Cuius ergo auctoritatis singuli sunt fontes , ea-  
dem etiam riuulis , sententiis , inquam , ex fontibus illis  
desumti , si caetera rite se habeant , tribuenda uenit .  
Hinc facile constabit , conclusionibus ex sacris literis  
recte deductis , nec forte , quod aliquando contingit ,  
male applicatis , plenam deberi fidem . Patres , quate-  
nus cum his consentiunt , sunt audiendi . Nec Jus  
Ciuitile in Jure Canonico allegatum , in casibus legalibus ,  
negligendum . Pontifices uero quæ constituerunt , re-  
spiciunt aut fidei dogmata , aut decisiones forenses .  
Quoad has , Jus Pontificium inter Protestantes , iis po-  
tissimum casibus , receptum in dubio censetur , quibus  
agitur de juramentis , matrimonii , usuraria prauitate ,  
it . in casu *C. ult. X. d. praescript.* nec non processualiibus ,  
scil . quoad modum procedendi , modo libellum & sen-  
tentiam excipias , & tandem in subsidium , si Jura Prouin-

cialia & ciuilia deficiant. Ubi uero de dogmatibus fidei, a Pontificibus determinatis, quæstio mouetur, in primis priora & puriora a posterioribus, Scholastico-rum inanibus figmentis uarie inebriatis, seculis, sollicite sunt distinguenda. Quo propius enim quisque Auëtor ab Apostolorum ætate abest, eo ueriore et integriore doctrina imbutus fuisse, extra dubium censendus est; Et hinc male egerit, qui ex posteriorum temporum commentis primæuæ Ecclesiæ Scriptorum doctrinas deduxerit. Quæ omnia necessario quamuis supponenda, Exc. DN. BOEHMER V M, Virum cætero-quin eruditissimum, non semper obseruare, haud immerito miror. Atque colligi id, meo quidem iudicio, poterit ex iis, quæ occasione characteris indelebilis adducit in SCHILT. illuſtr. L. I. Tū. XV. p. 165. ubi præc. pag. hu-ius characteris reliquias in Ecclesiis Protestantium etiamnum haberi, conquestus, l. c. n. 6. addit: *Imo inde fluit doctrina de efficacia ministerii impii pastoris c. 98. in f. C. I. Q. I. quod Spiritus S. æque ad ea ministerio impii hominis, quam pñi, c. 98. c. 58. C. I. Q. I. et quod consequenter æque efficaciter verbum DEI predicare possit.* Paucis, quæ de charactere a Pontificiis traduntur, ante omnia hic excutienda sunt. Tria nimirum a Catholicis, quos uocant, creduntur Sacraenta: *Ordinatio, Baptismus, & Confirmatio*, per quæ qualitatem aliquam indeleibilem, characterem ipsis dictam, eadem suscipientibus imprimi, autumant. c. 3. vers. item quer. X. d. *Baptism.* In quo uero character iste consistat, & quomodo in ipsis rerum argumentis, diuersisque obuenientibus casibus, de eodem statuendum sit, nemo illorum satis explicate tradit. Videamus quædam hoc pertinentia. BARBOSA vocat *spiritualem animæ qualitatem.* FAGNANVS figuram intellectua-lem & indeleibilem animæ infixam, per quam sic insignitus a non

*non insignito in die judicii discernetur.* ENGELIVS vero signum spirituale anime impressum, quo suscipiens Christo Duci, Principi, summoque sacerdoti unitur, & in illius servum &c. consignatur. De singulis autem hisce suum judicium exhibet EXC. DN. BOEHMER. Jur. Eccl. L. I. Tit. XVI. §. IV. p. 502. seq. THOMAS nominat spirituale quoddam signum indelebiliter anime impressum. BELLARMINVS contra clarius rem explicare annititur, tres diversos ponendo effectus, scilicet, 1. aptum facere sepius jam commemoratum Characterem ad cultum div. 2. configurare Christo. 3. distinguere ab aliis. Quid rursus de his, & in genere de toto hoc commento, sentiendum, solide docet B. KROMAYER Theol. Pos. Pol. P. II. L. XV. Aph. XVI. p. m. 320. in pr. edit. p. 426. Aliam definitionem ex prioribus, aliquis hinc inde apud Pontificios occurribus, extractam exhibet, et, quæ risu excipiatur, dignam recte habet, D.N. D. PFAFF. CANC. TVB. Tr. Von dem Ursprung des Kirchen-Rechts p. 67. verb: Der unauslöschliche Character ist eine absolute / disponirende / configurirende (nehmlich mit Christo, jedoch nicht mit ihm, weder aus/ noch inwendig/ vereinigende) unterscheidende/ und in der Seelen allein befindl. unauslösdl. Beschaffenheit. Vides, omnia esse incerta, dubia & perplexa; jurare sane ausim, nec ipsos Pontificios nosse, quid uelint, sed multa dicere, ne nihil dixisse, aut Chimæram defendisse, uideantur. Quid multis? Ipsi etiam, in primis GABR. BIEL, fatentur, nullam esse rationem, cur characterem aliquem statuamus, Et ALTENSTAIG. auctoritates scripture, & sanctorum Patrum originalia, in ponendo tali charactere desicere, non male judicat. Vid. ZIEGL. Annot. ad Lancell. p. 304. Hunc itaque Characterem omnes nostrates Theologi & JCTi pro inani figmento, atque, uti B. ZIEGL. l. c. loquitur, partu cerebri febricitantis prodigioso,

digito, habent, eumque B. KROMAYER l. c. ideo indebilem censet, quoniam nullibi sit scriptus. B. CHEMNITIVS uero fol. 222. eundem per τὸ χάρακυμα, cuius Apoc. XIII. 16. & XIV. 11. alibique, crebra fit mentio, portendi, non inepta auguratur conjectura. Quæritur itaque, ex saepius dicto charadere, num doctrina de efficaci hominis impii Ministerio, circa aliorum conuersionem, prognata, credenda sit? Quod uel ideo negandum, quia figura illud de charadere indebili inquinatisimis, i. e. ultimis Scholasticorum temporibus est adscribendum, docente B. KROMAYER l.c. Quaestio autem, de efficaci hominis impii ministerio, antiquissima, & in Jure nostro Canonico pridem, ex solo DEI verbo, grauissime decisa. Audiamus eam in rem notabile & præclarum FABIANI, Pontificis Rom. Responsum c. 85. C. I Q. I. quod ita se habet: *Significatis insuper, plerosque attendere, multos in ipsis honoribus Ecclesiasticis non congruerter vivere sermonibus, & Sacramentis, que per eos populis ministrantur. O miseros homines, qui hos intuendo, Christum obliviscuntur: qui & multo ante predixit, ut legi DEI potius obtemperetur, quam imitandi videamus illi, qui ea, que dicunt, non faciunt; & traditorem suum tolerans usque in finem, etiam cum ceteris ad evangelizandum missi.* Nam Apostoli tam consuetudinem non habuerunt, nec habendam docuerunt. Hoc Pontificis effatum eo majoris aestimandum, quo proprius ipse ab Apostolorum æuo abest. Anno siquidem jam a Nato Christo CC LI. in persecutione occisus perhibetur. Deinde nulla alia extrinsecus assumta demonstratione, sed ipsa Sacra Scriptura, ad probandam suam decisionem, utitur. Quatuor autem solida laudatus Pontifex congerit argumenta, que singula paucis ordine suo lustrabimus. Primo loco grauiter redarguit eos, qui, communi hominum more, aliorum potius refor-

reformationem exoptant, quam tamen a se primum  
 incipere debebant, atque in reliquorum vitiis plusquam  
 lynceis oculis utuntur, in propriis vero, talpæ non ab-  
 similes, id manticæ, quod in tergo est, non uident; ac  
 ita foede admodum Saluatoris monitum, *Matth. VII. 5.*  
 ὑποκριταὶ, ἐκβαλε πρῶτον τὴν δοκὸν ἐκ τῆς ὁφθαλμῆς σα,  
 καὶ τοτὲ διαβλέψεις ἐκβαλεῖν τὸ κάρφος ἐκ τῆς ὁφθαλμῆς  
 τῆς ἀδελφῆς σα, negligunt. Hac præmissa gravi ἐπινο-  
 θώσει, ipsam causæ decisionem aggreditur, & recte pro-  
 uocat ad aliud Saluatoris nostri dictum, quod habetur  
*Matth. XXIII. 3.* Πάντα δὲ ὅσα ἀν ἐπωσιν (οἱ Φαρισαῖοι)  
 ὑμῖν τηρῶν, τηρεῖτε, καὶ ποιεῖτε κατὰ δὲ τὰ ἔργα αὐτῶν μὴ  
 ποιεῖτε λέγοσι γαρ, καὶ οὐ ποιεῖσθαι. Impii ergo fuerunt  
 Pharisæi, quia illorum facta imitari Christus prohibuit;  
 sed efficax nihilominus illorum Ministerium, quia ea, quæ  
 dicunt, in effectum deduci & possunt, & Christus præce-  
 pit. Frustra sane alias Christus a discipulis suis exe-  
 gisset, quæ tamen, absque ulla ipsorum culpa, effectu  
 carere, jam ante nouisset. Solet hic equidem a neo-  
 tericis quibusdam obuerti, diuersam plane esse Phari-  
 seorum & hodiernorum Ecclesiæ Ministrorum condi-  
 tionem, illos saltēm prælegere solitos fuisse, atque ha-  
 etenus facile cum effectu discipulos Christi doceri po-  
 tuisse; Verum enim uero hanc sententiam uix suam Exc.  
 VIRVM facturum esse, arbitror, cum ita reuera Ver-  
 bum DEI per impium Ministrum & ejus os, puri instar flu-  
 minis, transfaret, & in fertilem ueniret terram, quæ tamen  
*B. AVGUSTINI uerba c. 34. C. I. Q. I. ipse Iur. Eccl. L. I.*  
*Tit. XVI. §. 6. uellicat.* Siue tamen eadem Exc. Aucto-  
 ris sit sententia, siue non sit, per dictam exceptionem,  
 quod alias negatur, in totum concedi, rursus arbitror.  
 Nec enim, quod fateor, capio, quomodo, in ordine ad  
 Auditores, diuersi effectus, ex uerbo DEI prælecto, aut  
 me-

memoriter recitato, promanare queant. Sufficit itaque, si etiam hoc modo concedatur, efficax esse impiorum Ministerium. Aliud dubium, speciosum magis, ei que argumento, quod Pontifex *l. c.* attulerat, oppido contrarium, ut uideri poterat, afferri solet, ex *Marth. XVI. 12.* ubi Christus Discipulos cauere sibi jubet a doctrina Phariseorum. Sed facilis est responsio. Jussit Saluator *loc. alleg.* προσέχειν ἀπὸ τῆς ζύμης, *a fermento*, id est, corrupta per uarias traditiones doctrina, conf. *v. 4.* probauit uero, quatenus sedebant in cathedra Mosis, atque doctrinas Prophetarum Mosisque pure proponebant. *Marth. XXIII. 3.* Accedit, quod alibi illud *fermentum* explicetur, non per doctrinam, sed per hypocrisin; *Luc. XII. 1.* Ultimo loco contra nostrum argumentum urgetur, Phariseos in scripturis toties uocari coecos, stultos, sed ab his parum sane sapientiae aut fructus esse expectandum. Verum & hic res est in uado. Ipse enim Saluator, quo sensu stultum uocet, satis explicat *Marth. VII. 26.* ubi ἀνθρόπῳ φεονίῳ assimilat eum, qui verba sua audit & facit; in stultorum vero censem refert, qui audita & cognita non facit. Et, stolidissimum, quis neget, esse, qui nouit, aliis etiam vitæ aeternæque salutis semitam monstrat, ac persuadet; ipse contra præcipitia, ad aeternam mortem, ὡς λιμνη τῷ πυρὸς ἡ θεῖα, ὄπεις Σατανᾶς θίσταις ἥμερας ὡς νυκτὸς, εἰς τοὺς αἰώνας τῶν αἰώνων. *Apos. XX. 10.* ruentia, pronus petit. Turpe sane est Doctori, cum culpa redarguit ipsum; at culpa hæc non obstat, quo minus uera & cum effectu dicere & docere posit. Succedit porro aliud Pontificis in *alleg. cap.* argumentum, ab exemplo Judæ proditoris defumtum. Hunc pesimum nebulonem nunquam credidisse, haud obscure asseritur *Jo. VI. 64.* dicitur namque in præsenti tem-

tempore ὁ μὴ πιστεύων, non credens; & v. 7o.  
pridem ante proditionem, expresse uocatur διά-  
βολος. Eo non obstante, illum Christus cum reli-  
quis Apostolis, ut prædicaret, misit. *Matth. X. 5. 6. 7.* Cui  
uero bono id fecit, si inefficax impii est ministerium?  
Huic exemplum Jonæ, Prophete, quem tamen, a  
nemine, quod quidem sciam, in hunc relatum esse cen-  
sum, recordor, conjungere, non dubito. Eum non sa-  
tis pium fuisse, uel inde patet, quod missus ad Ninuitas,  
DEO obedire noluerit; idque non ideo, quod forte  
imparem se tanto muneri crederet, aut operam suam fru-  
straneam arbitraretur, sed quod DEVM gratiam delicto-  
rum Ninuitis, per suam prædicationem conuertendis,  
facturum, putaret. Ita enim ipse mentem suam aperit

חַלְואָה רְבִנֵּי עֲרָדְתָּוֹתִי עַל־אֶרְמָתִי  
עַל־כָּן קָרְפָּתִי לְבָרוֹתִי כִּי בְּרַעְתִּי כִּי אַחֲתִי אֶל

&c. *annon hoc uerbum meum, adhuc*  
*cum essem super terra mea, ideo præveni ad fugiendum, quia*  
*noui, quod tu DEVS clemens, & misericors. &c.* Duo sane  
maximopere improbanda, & quæ in uere pio haud fa-  
cile deprehenderis, hic nobis se offerunt. Primo enim  
jussa DEI executi noluit. Audiamus uero Samuelem,  
quid ille de inobedientia erga DEVM dicat i. *Sam. XV.*

23. קָסָם מַרְיָה וְאַנְּזָן וְתִרְפִּים הַבָּצָר  
diuinationis, inobedientia, & τὸ resistere, idolum & imagines.  
Vbi de uoce diuinationis obiter notamus memorabilem  
obseruationem ex c. 24. *C. I. Q. I.* quæ ita se habet: *nun-*  
*quam diuinatio in scripturis in bonam partem accipitur; non*  
*est augurium in Jacob, nec diuinatio in Israel. &c.* Deinde quis  
non uidet, Jonam admodum impium fuisse, dum pro-

pter Niniuitarum poenitentiam, & ueniam diuinitus  
ipsis concessam, cum DEO expostulat. Vid. *Jon. IV.*  
*per rot.* quo tamen felici potius successu gaudere, gra-  
tesque agere, conueniebat. Diabolorum certe et in-  
uidorum est, ingratos uidere successus hominum, at-  
que intabescere uidendo. Coram Angelis contra & piiis  
gaudium est ἐπὶ ἐνὶ ἀμαρτωλῶ μετωνομένῳ *Luc. XV.7.* At  
nihilominus per *Jonae* parum pii licet, ministerium effica-  
cissime *DEVS* operatus est in Niniuitis. Ultimo loco se-  
pe laudatus Pontifex ad Apostolorum doctrinas prouo-  
cat. Nec desunt hic plurima argumenta, ex quibus  
potissimum notabile est dictum Pauli *I. Cor. IX. 27.*  
ἀλλ' ὑπωπιάζω μη τὸ σῶμα, καὶ δελαγωγῶ, μήπως ἀλ-  
λοις ιηρεύξας, αὐτὸς ἀδόκιμος γένοιμαι. Potest itaque  
quis praedicare, aliosque prædicando saluare, ipse ue-  
ro reprobus esse. Hoc dictum per exemplum aliquod,  
clarius explicatur *Pbil. I. 16.* Vbi Apostolus conqueri-  
tur, quosdam Christum prædicare, ἔξι ἐγιθέοις, ut sibi  
afficto, & in vinculis existenti, grauiorem inuidiam  
commoueant; eni majorem diabolica malitiam! &  
tamen *v.18.* addit. τι γέρ; Quid igitur, sc. refert? πλὴν, at-  
tamen Christus, siue προΦστει, zum Schein / siue ἀληθέοις,  
uero cordis affectu, πεντὶ τρόπῳ, omni modo, prædicatur; sem-  
per nihilominus desuper gaudebo. Sed si inefficax impii est  
ministerium, utique referret, neque Christus utroque  
modo prædicaretur, nec Apostolus idcirco gaudere  
potuisset. Ex iisdem rationibus nonnullorum ex-  
ceptio, dici tamen inuidos illos Christum, ἐχ-  
άγως, non pure, prædicasse, facile refelli potest; præser-  
tim, cum pateat ex contextu, uocem: ἀγως, non ad  
uerbum *DEI*, prædicatum, sed ad purum cordis affec-  
tum, esse referendam; cum opponatur τῇ ἀγάπῃ, ob-  
ritati

ritati v. 17. His itaque argumentis FABIANVS in cap. cit. sententiam suam communivit. Nec desunt alia antiquissimæ hujus decisionis testimonia. Ita AMBROSIVS Augustini Praeceptor quasi, & qui hunc sacro fonte initiauit c. 83. C. I. Q. I. officia potius personarum, quam merita, respicere iussit. Eadem argumenta pluribus in locis repetit AVGSTINVS c. 58. 78. 79. 88. 89. inf. C. I. Q. I. Extat & aliud Papæ NICOLAI, qui uixit Sec. IX. Decretum egregium, & haec tenus deductis per omnia conforme, c. 86. C. I. Q. I. uerb. Non quales sacerdotes Domini sunt, sed quid de Domino loquantur, est uobis magnopere præuidendum: nec in Vicariis B. Petri Apostoli, uobis est atten-dendam, qui sunt; sed quid pro correptione Ecclesiarum, quid pro salute uestra satagant. Nec enim illos inferiores dicitis scribis & Phariseis, sed entibus super cathedram Moysis, de quibus Dominus precepit, dicens: Quocunque dixerint uobis, obser-vate, & facite &c. Nihil haec tenus de charactere indelebilis. Omnia ex sacra scriptura sunt disputata. Proinde clari-simè hinc confici puto, ex dicto illo charactere nullo modo doctrinam nostram, de efficaci boni impii Ministerio, utpote multo antiquissimam, & Sacra Scripturæ ex assente consentientem, deduci posse. Imo, si prout Exc. AVCTOR SCHIL T. III. L. I. tit. XV. §. 3. in f. autumat, AVGUSTINVS hunc characterem fingendi ansam dedit, sequitur sane, eundem potius ex dicta doctrina, quam hanc ex illo, deriuandum esse. Si hoc, nihil, quod falsitatis doctrinam nostram coarguat, adducitur, siquidem ex uerisimo etiam principio, non recte intellecto, aut applicato, facile conclusiones infelices effungi possunt. Du-bitto tandem, num serius omnino Exc. AVCTORIS, in hac materia, sit dissensus, cum alibi pro nostra sententia propugnet. Ita enim Jur. Eccl. L. III. tit. XLII. §. 3. p. 820. Quia uero efficacia baptisimi dependet

B 2

a fide

a fide recipientis c. 54. C. I. Q. I. non dantis, parum resert,  
 qua fide & pietate id peragat Ecclesiae Minister, cum Spiritus  
 DEI subministret gratiam baptismi, non baptizans, c. 59. C. I.  
 Q. I. et DEI munus sit, non ministri Ecclesiae, c. 25. de Consecr.  
 D. 4. Inde aequa efficax est baptismus, qui per malum, quam  
 qui per bonum ministrum datur. c. 26. 27. 39. 41. 50. de Consecr.  
 D. 4. & paulo post: Nemo de collato baptismismo certior esse pos-  
 set, si hujus substantia ab intentione, adeoque etiam a fide in  
 corde latente, ministrantis dependerer, quippe que in oculos  
 non incurrit, aut si incurreret, simulata esse ualeret, sed  
 ab actu externo prorsus aliena esse potest. Evidem id non  
 presumendum esse ajunt, quin potius credendum, baptizantem  
 id reuera intendisse, quod egit. Enim uero, in rebus ad salutem  
 pertinentibus, non insufflendum nudis presumptionibus, sed medio-  
 rum certitudo desideratur, que certitudo tamen dicitur, si inten-  
 tio, uel etiam pietas, baptizantis baptismum constituit. Aut  
 ergo plane nobiscum facit Exc. VIR, aut certe inter  
 administrationem sacramentorum & prædicationem  
 uerbi diuini, differentiam aliquam constituit, ita, ut  
 Ministerium impii quoad priorem efficax agnoscat, sed  
 eidem, quoad posteriorem, efficaciam deneget.  
 Quæ differentia tamen uel ideo captu perquam diffici-  
 lis foret, cum illud ipsum, per quod Sacraenta in esse  
 suo constituuntur, sit Verbum diuinum, idque a sacerdo-  
 te prolatum. Hinc AVGVSTINVS c. 54. C. I. Q. I. accedit  
 uerbum ad elementum, & sit sacramentum. Quicquid tamen  
 ejus rei sit, hanc doctrinam, ex genuinis suis principiis,  
 prout in omnibus Juris Canonici materiis fieri debere,  
 supra monuimus, satis deductam, arbitror. Neque uero  
 tantum in Jure Canonico, sed & in omnibus disciplinis  
 aliis, prout earum genius exposcit, eo respiciendum est.  
 Idque si unquam, certe in Jure nostro, obseruari conue-  
 nit,

nit, ut hinc in casu, quo DD. a LL. discessum facere tentant, semper his, utpote primis quasi Jurisprudentia forensis principiis, palma tribuenda sit. Eandemque observationem tam alias, quam in primis in lectionibus meis Juridicis, haec tenus non sine fructu, quod spero, habitis, commendare soleo. Nec utilitate sua illam desitui, ex disputationibus & examinibus, iisdem subinde conjunctis, saepius cognoui. Quarum disputationum ad STRVII *Jurisprud. Rom. Germ. For.* priuatos intra parietes, a me haec tenus explicatam, directarum, &, dimidia fere sui parte, jam absolutarum, publicam continuationem quibusdam ex Nobb. Dnn. Auditoribus, laudabili sane instituto, tentare uisum est. Primus itaque, mihi patruelis,

**DN. MICH. GOTHOFREDVS  
WERNHER,**

Dinckelsbühla - Sueus.

initium faciet, integrumque de *ultimis uoluntatibus* materia, quæ in prælaudati STRVII *Jurisprudentia* habetur a Lib. II. Tit. XV. ad Tit. XXIX. inclus. proximo die Jouis, qui est d. XXII. Jun. publicæ ventilationi submittet. Reliqua uero ejusdem libri capita, prius a me explicanda, eo, quo fors tulerit, ordine, sequentes Domini, quos annorum Academicorum prærogatiua ab inuicem, hoc loco, separat, nimirum

B 3

DN.

**DN. JOANNES CAROLVS  
VTTERMANNVS**  
Viteberga - Saxo.

**DN. CHRISTIANVS SCHV.  
BARTVS**  
Viteberga - Saxo.

**DN. JOANNES GOTTLLOB  
PRÆTORIVS**  
Jütröboga - Saxo.

**DN. JOANNES GOTHOFR.  
KANNIVS**  
Ohna - Saxo.


**DN. JOANNES CHRISTIANVS  
WEIDNERVS**  
Porta - Misnicus.

**DN. JOANNES FRIDERICVS  
MICHAELIS**  
Schlibena - Saxo.

modo

modo, Opponentium more, impugnabunt, modo Respondendo, defendant, diesque, hunc in finem feligendos, peculiari schedula, ex uestibus publicis, qualibet vice, significabunt. Quem conatum egregium, nemini-que, quod spero, improbandum, si sua præsentia promouere & exornare P A T R E S A C A D E M IÆ hujus C O N S C R I P T I , reliquique, Illustrissimus, Generosi, Nobilissimique Ciues, deditiinati haud fuerint, in id & ipse, & laudati Dnn. Auditores mei, unice incumbemus, ut prioribus debitam reueren-tiam, posterioribus autem officia nostra, quoquis modo, declaremus. Dabam Vitembergæ  
d. XVII. Jun. MDCC XXIV.









Wittenberg, Diss., 1724 L-8



Sb

1078





*DISPV TATIONES JVRIDICAS*

AD

G. A. STRUVII

20

1724

41

# JVRISPRVD. ROM. GERM. FOR.

IN AVDITORIO JVRIDICO  
PVBLINE HABENDAS

INDICAT  
FAOVE OCCASIONE

DE

ERE INDELEBILI

ET

DE EFFICACI HOMINIS  
ISTERIO, PERPERAM  
LO DEDVCTA

DISSERIT

ER. WERNHER.

TR. DOCTOR.

TEM BERGAE,  
VIDVAE GERDESIAE.

33.

